



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 56. Callisti III. summi Pontificis obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

hanc coronam Joanni Arragoniæ Regi & Alphonfi Fratri jure imponendam contendebant; Ille autem certis Hispaniæ opibus, ac ditionibus contentus, longinquas, easque incertas haud magnopere curabat. Joannes quoque Andegavensis, qui Renati olim cum Alphonso de hoc regno contendentis Filius erat jura sua resuscitavit. Hunc Carolus VII. Galliarum Rex, postquam Genuenses in suam tutelam receperat, Genuam misit, ut Alphonfi vexationes reprimeret, qui etiam rem egregie ac fortiter aggressus est, lætaque habuit belli initia, cum magnam Neapolitani Regni partem occuparet; sed exitum demum tristem expertus est; sexto enim post adventum suum anno tota Italia omnino expulsus, ad sua reverti compellebatur.

§. LVI.

Callisti III. summi Pontificis obitus.

Ferdinandus tandem permansit pacificus Neapolitanæ coronæ possessor, cum a crebris molestiis fuisset ereptus per Callisti Pontificis obitum, qui hoc anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo sexta Mensis Augusti die Romæ contigit, postquam Callistus ætatis suæ octoginta, Pontificatus

L 1 5

vero

Sæcul. XV. vero annos tres, menses quatuor, dem-
 A.C. 1458. ptis tribus diebus expleverat, & quadra-

*Platin. in
 vita Callisti.
 III.*

*Antonin. tit.
 22. c. 26. §. I.*

*Ciacon. in
 Callist.*

ginta omnino diebus gravi morbo affi-
 ciebatur. In illius funere Joannes An-
 tonius Campanus natione Italus Inter-
 amniæ in Aprutio Episcopus, defuncto-
 que Pontifici a secretis, orationem ha-
 buit, quæ in ejusdem Præsulis operibus
 extat. Ceterum Callistus quinquaginta
 millia juxta Platinam, secundum S. An-
 toninum autem centum quinquaginta
 aureorum millia reliquit. (*) Cardina-
 les, dum de vita summi Pontificis de-
 sperarent, castrum S. Angeli de manibus
 Catalanorum redimi procurarunt, datis
 aliquot aureorum millibus ejusdem Præ-
 fecto; Romani etiam hujus Nationis
 Viros, eoquod violenter nimis, Papa vi-
 vente, se gessissent, pessime habuerunt.
 Petrus quoque Callisti nepos in civitatem
 veterem ad declinanda Ursinæ Fami-
 liæ odia confugit, ubi non multo post
 mortalibus rebus ereptus est.

§. LVII.

(*) Platina dicit, *Callistus moriens centum
 Et quindecim millia nummum aureorum reli-
 quit, quos in usus bellicos contra Turcas com-
 paraverat?* quæ ultima verba sane reticeri
 non debuissent.

§. LVII.

Sæcul. XV.
A.C. 1458.*Cardinales conclave ingressi, Papam electuri.*

Postquam in Ecclesia Vaticana Callisti *Platina in*
 exequiæ erant absolutæ, necnon cor- *Callist. III.*
 pus in marmorea tumba depositum, Car- *Comment.*
 dinales tunc Romæ existentes numero *Pii II. lib. I.*
 viginti & unus decima die post funeris
 solemniam de more conclave ingrediuntur,
 quod in Palatio S. Petri dispositum fuit.
 Duæ seligebantur capellæ, totidemque
 aulæ, quarum amplior in cubicula Car-
 dinalium habitationi accommoda distri-
 buebatur, altera vero minus spatiosa, quæ
 S. Nicolai capella appellatur, destinaba-
 tur pro loco, ubi Sessiones celebrarentur.
 Reliquum vero Palatii omnibus in con-
 clavi existentibus pro ambulacro relin-
 quebatur: Prima die, qua Cardinales
 conclave ingressi sunt, nihil actum est cir-
 ca electionem, sequenti autem capitula
 quædam edita, quæ observari a novo
 Pontifice statuebant, jurabantque singuli,
 se ea servaturos, si electio in quem-
 piam eorum caderet. Tertia demum
 die, peracto Sacro solemniter de Spiritu
 sancto ad scrutinia procedunt, ubi inven-
 tum est, quod Cardinales Bononiensis &
 Senensis (hic ipse erat Æneas Sylvius)
 potissima tulerint suffragia; ex reliquis
 enim